



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

LXII. Pelagivs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

lemnitas fuerit celebrata totius sanctificatio consecrationis implebitur. Si vero sanctuaria, quae habebat, ablata sint, rursus eorum repositione, & Missarum sollemnitate reverentiam sanctificationis accipiet. ITEM. Ordine quoque precum in celebratione Missarum nullo nos tempore nulla festinitate habere diversum, sed semper eodem tenore oblata DEO munera consecrare. ITEM, si quis non baptizauerit in nomine patris, & filii, & spiritus sancti, proiiciatur extra Ecclesiam.

## LXII.

A. D. LV.

## PELAGIVS.

**P**E L A G I V S, natione Romanus, ex patre Ioanne Vicario, sedit annos 11. menses 10. dies 19. Hic, dum non esset Episcopi, qui eum deberent ordinare, ordinatus est à Ioanne Perusino, & à Bono Furentino, Episcopis, & ab Andrea Ostiensi presbytero. Ab huius autem communione multi ex utroque ordine religiosi viri se subtraxerunt: imponentes ei, quod in morte Vigilii tantis poenitentiis afflitti se immiscuit. Vnde Pelagius accepto libro Euangeliorum, & assumpta cruce, clero & populo in Ecclesia B. Petri congregatis, iuramento de praedicto crimine satisfecit, & omnium Romanorum assertione firmauit, ut nullus clericus precio quolibet aut promissione ad sacros ordines prouekeretur.

\*vigilio.

HIC \*Virgilio Episcopo direxit epistolam, in qua cum pleniter docet, & prudenter instruit, qualiter respondere & conuincere debeat haereticos illos, qui garriunt patrem & filium unum Deum esse non posse. Hic ordinauit Episcopos 49. presbyteros 26. diaconos 9. Obiit autem 6. nonas Martias.

## LXIII.

A. DLIX.

## IOANNES. III.

**I**OANNES, natione Romanus, ex patre Anastasio, sedit annos 12. menses 11. dies 26. Hic amauit, & restituit cimiteria Sanctorum Martyrum, & constituit oblationes & luminaria ibidem per singulas Dominicas de Lateranis ministrari. Huius temporibus Narses à Romanis apud Iustinianum & Sophiam Augustam accusatus Longobardos ad occupandam & possidendam Italiam vocauit: qui non multo tempore post Romæ defunctus est. Hic vniuersis Germaniæ & Galliæ Episcopis epistolam decretalem transmisit, in qua euidentissima ratione & firmissima multorum auctoritate com-